

uxorem in flagranti crimine adulterii. l. 23. §. 4. & l. 24. pr. ff. ad L. Jul. de Adult. quoniam motus primus iusti doloris meretur excusationem: sed postquam dolor & ira resedit, ad factum occidendi devenire non oportet, sed res relinquenda est Judici. Vide Tholos. l. 36. cap. 6. n. 6. modò quosdam vocaverit in testimonium, qui viderint adulterum cum adultera in eodem conclavi cum talibus indiciis, è quibus revera colligi possit, adulterium commissum fuisse.

ARTIC. CXXI.

Pœna bigamiae, & consequenter polygamiae.

Straff des Uebels/ das in Gestalt zweyfacher Ehe geschicht.

Sein Ehemann ein ander Weib/ oder ein Eheweib einen andern Mann/ in Gestalt der heiligen Ehe/ bey Leben des ersten Ehegesellen nimmt/ welche Uebelthat dann auch ein Ehebruch/ und grösser denn dasselbig Laster ist. Und wiewohl die Kayserslichen Rechte auf solche Uebelthat keine Straff am Leben setzen: So wollen wir doch/ welcher solches Lasters betrieglicher Weis/ mit Wissen und Willen/ Ursach gibt/ und vollbringet/ daß die nicht weniger/ dann die Ehebrüchigen/ peinlich gestrafft werden sollen.

AD ARTIC. CXXI.

ARGUMENTUM.

Qui superstite adhuc conjuge sciens & dolò malò aliam superinducit uxorem, & se cum ea carnaliter commiscet, is non minore pœnâ, quàm adulter, afficiendus est.

EXEGESIS.

Bigamia est delictum carnis, quò maritus vivente adhuc conjuge sciens & volens superinducit aliam uxorem, & cum ea maritali affectu cohabitatur ad priorem conjugem ex aliqua causa deserendam.

(1) Requiritur, ut conjugatus sit, qui alteram ducit. Perinde autem est, si maritus, si conjux alterum superinducat, ita, ut in totum adhuc integrum alius assumatur, & ita duplex torus inter unius matrimonii personas constituatur.

(2) Ut